Ἀποδοκιμασίας Ἀποδοκιμασία

SIVE

TRACTATUS

ADVERSUS

REPROBATIONIS

Absolutæ Decretum,

NOVÂ METHODO

ET

Succinctissimo Compendio adornatus;

ET

In duos LIBROS Digestus.

by Mr J. Norris of All-Souls

Qui neminem vult perire, sed omnes ad Resipiscentiam tendere. 2 Pet. 3. 9.

Ἀγαθὸς ἦν τὸ πᾶν τόδε ὁ συνιςὰς, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς ἐγγίνεται φθόνος. Plato.

LONDINI:

Prostant venales apud *Jacobum Norris*, ad in-signe Regiæ Majestatis Armorum, extra, vulgò dictum Temple-bar, Anno Dom. MDCLXXXIII.



Prefatio.

V*Olventi mecum non defuturos qui quod in materiâ tot Eruditissimorum congressibus ultro citroq; discussâ, tot Lucubrationibus eviscerata stylum meum exercerem Censorium in me supercilium distringant, in Instituti hujus* Apologiam *non nihil præfari e re meâ fore videbatur. Libelli igitur hujusce scribendi occasionem, & publici deinde juris faciendi consilium (Amice Lector) sic paucis habe.*

Ab ineunte ætate, & quasi cum materno lacte Prædestinariæ *Doctrinæ Principia incautus hauseram,*

in iisq; diu præfractus & immobilis quasi defixo baculo perstiteram, donec cum viro quodam pereruditio qui contrariæ sententiæ nomen dederat, collatione habita, Dogmatis illius ad quod a teneris formatus erâm, diras consequentias eatenus perspectas haberem, ut in gravissimos scrupulos inciderim, non vero ut penitus illud abdicarim. Diu inter geminos Magnetes dubius hæsi Chalybs, utriusq; Dogmatis confinio ab utroq; detentus. Fluctuationis hujus impatiens, ad rem penitius inspiciendam me sedulus accinxi, diem cum nocte meditando, & lectissimos utriusq; sectæ Scriptores evolvendo multoties junxi, donec tandem post multigenam lectionem & accuratissimas in hâc re defixas meditationes pedem figerem, & in illâ quam jam ambabus ulnis amplector sententiâ tranquillus acquiescerem. Verum

Verum ne prior opinio licet castris exuta, & in fugam data, vires recolligeret, & redintegrato impetu molestiam mihi denuo facesseret (adeo difficile est Præjudicia diuturna *simul &* præmatura *penitus excutere) succinctam & methodicam Dogmatis illius* Refutationem *(tanquam exercitum in stativis semper excubias agentem) præ manibus habere consultum duxi. Chartis igitur manum admovi, & Meditationes has animo meo hinc inde sparsas, & incompositè palantes in hanc* Synopsim *digestim redegi, ut* Amuleti *instar ab omni Dogmatis istius pestiferi contagio mihi in posterum præsidio essent.*

Quod vero Enchiridion *hoc in proprium meum usum conscriptum in Apricum proferre visum fuerit, hæc in causà fuere. Imprimis,*

quod

quod quamvis ingentibus super hâc re voluminibus Respublica *literaria referta esset*, Compendiorum *tamen hujusmodi copiam non ita magnam extare, nec omnibus ad libros illos* Elephantinos *evolvendos otium suppetere, mecum perpenderem. Deinde, quod opinionem ad honori Divino contumeliam & hominibus exitium inferendum naturâ suâ adeò comparatam nunquam nimio argumentorum apparatu exagitari posse crederem. Præsertim, quum apud cultores suos tanti fiat, ut pro corculo, medullâ, vitâ & animâ* Religionis *habeatur. Quumq; omnis illorum* Theologia *a capite ad calcem usq; pestifero hoc fermento delibuta sit. Quo non recidunt mortales cum vitam & animam* Religionis *in eo* Collocant, *quod* Religionis *omnis internecivum est venenum. Sed quo tenacius*

illi Pestem hanc amplectuntur, eo majori vi ut ex illorum manibus extorqueatur, annitendum est. Quid igitur vetat quo minus in Communem tum Dei tum humani generis hostem (quodq; periculosius est) sub Amici *utrinsq; amantissimi larvâ insidiantem novum copiarum delectum agam, & ex integro bellum suscipiam? Nunquam in Dei & hominum omnium causâ nimii esse possumus.*

Monitum Authoris.

Quum a Prelo longè semotus agerem, Typographi incuriâ factum est, ut huic Opusculo solito plura irrepserint Sphalmata, Quibus ut in hunc modum priusquam ad illius lectionem se accingat, Medicam manum adhibeat, pro candore suo rogandus est Lector.

Pag. 2. leg. habeo. p. 7. l. denotantia. p. 23. l. ansam. p. 34. l. possint. p. 41. l. adepturum. p. 45. l. Senecam. p. 62. l. demonstrato. p. 63. l. aliud. p. 64. l. absoluta. p. 71. l. in rustico. p. 72. l. absolutæ. & ibidem l. evacuari. & ibid. l. consultius. p. 78. l. veneficium. p. 84. l. sini. p. 87. l. unum. p. 89. l. proscribere. p. 94. l. contendunt. p. 95. l. execranda. p. 100. dele posterius (a). p. 102. l. proscribi. ibid. lege querantur.

Sciat Lector paucula esse in hoc Opere lineas, scilicet in primâ paginâ a verbo (nullum) ad verbum Societati, & in pag. 90. post Citationem Anonymi Authoris ad verbum (simulantem) quas dissimili Charactere (utpote mutuò desumptas) exaratas vellem. Quamvis hoc non multum refert, quum suum quisque non immerito dixerit quod undecunque quæsitum in suum opus conficiendum aptè digesserit.

LIB. I. & CAP. I.

EXutis tandem quibuscum diu luctatus sum Præjudiciis, & sanioribus in animum inductis Consiliis, totus in hanc concessi sententiam, nullum esse in *Religione Christianâ* placitum, quod Sacrosanctis Divinæ Majestatis Attributis, S. Scripturarum perpetuo tenori, *Catholico* rectæ rationis dictamini, uniformi Religionis universæ *Genio*, Primitivæ & meliori Antiquitati, serio pietatis & sanctimoniæ studio, omni denique tum publicæ tum privatæ Societati (quæ

2

præmiorum ac pœnarum tibicine ſtat ſuffulta) perinde noxium & contrarium haberi debeat; ac fatalis & ineluctabilis illa rerum omnium neceſſitas, quam in *Stoicorum* Scholâ imprimis natam, & fœtûs ad inſtar Monſtroſi dudum in parietes eliſam, *Calvinus* & ipſius *Aſſeclæ* infœlici poſtliminio redivivam orbi obtruſerunt.

Verum ne inauditâ causâ ſententiam ferre, aut Convitiorum potius quàm argumentorum apparatu præliari videar, Opinionem cui jam ex animo nuncium remiſi imprimis definire, & ſuis cancellis circumſcriptam exhibere, deinde rationum præſtantiſſimarum delectu habito eam pro viribus oppugnare conſtitutum habeo. Reprobatio igitur (prout in *Calvini*

Scholâ

Scholâ vulgo ſtatuitur) eſt æternum illud & immutabile Dei Decretum, ex Mero illius beneplacito proveniens, quo ſingulares aliquos nominatim homines nullâ in illis habitâ peccati, ſive finalis contumaciæ tanquam cauſæ moventis ratione, a ſalute æternâ, & mediis efficacibus ad eam ducentibus, omnino excludere; Contraque Morti & Cruciatibus æternis adjudicare decrevit. Dogmatis hujus Patroni in duas ſe claſſes diſpeſcunt. Prima eſt *Supralapſariorum*, qui divinæ reprobationis objectum ſtatuunt eſſe hominem ante omnem illius aut condendi, aut conditi, aut lapſi, (nedum ut non credentis & reſipiſcentis) conſiderationem. Secunda eſt *Sublapſariorum*, qui Deo in

Reprobationis actu hominem proponi statuunt ut actuali existentiâ donatum, & in *Adamo* lapsum. De duabus hisce sententiis distinctè & sigillatim agere non est animus; utcunque enim posterior ne Deum injustitiæ postulare videatur, reprobationem lapsui subordinet; Revera tamen in idem recidunt tandem utriusque sententiæ Patroni. *Sublapsarii* quidem sententiæ prioris incommoda vitare velle præ se ferentes, lapsum & humani generis corruptionem Reprobationi quasi fundamentum substernunt; sed interim quod unâ manu condunt, alterâ demoliuntur. Tam enim hi quàm illi *Adamum* necessario lapsum esse, & nos omnes ex puro puto voluntatis divinæ placito

lapsûs illius reos teneri volunt. Unde si res altius retexatur, perinde esse constabit, utrum Deus hominem prius destinet ad miseriam & deinde ad lapsum, vel prius ad lapsum & deinde ad miseriam. Ordo solùm invertitur, res eadem manet. Utroque enim modo Reprobatio in absolutum Dei placitum tandem resolvi debet. Quum igitur homines reprobare ex mero voluntatis arbitrio, & ob alienum peccatum ex eodem voluntatis arbitrio ipsis imputatum idem omnino sint, & ne hilum quidem absurditate & injustitiâ differant, nos duas istas opiniones (si sententias in justitiæ divinæ Contumeliam tam amicè Conspirantes duas appellare liceat) non seorsim excutiemus, sed

utramque ſimul iiſdem argumentis adoriemur. Præmiſsâ in hunc modum Reprobationis explicatione, poſcit ordo ut ad illius oppugnationem proximè me accingam. Quò fœlicius igitur res geratur, ſic aciem inſtruo. In primâ operis hujus parte Dogmatis prædicti Falſitatem; in ſecundâ, Malignitatem demonſtrare contendam. Falſitatem ejus dupliciter evincam; primo, demonſtrando quod adversâ fronte pugnet cum glorioſis Dei Opt. Max. Attributis. Secundo, quod Scripturæ adverſetur; Idque duplici nomine. Primo, quod multis expreſſis Scripturæ locis apertiſſimè contradicat. Secundo, quod totius Scripturæ ſcopum & finem fruſtretur & irritum reddat. Poſtremo

ſtremo, malignitatem hujus Dogmatis a perniciosis quàm plurimis quæ vel ab eo derivantur, vel saltem (si homines secundum illius principia vitam instituerent) in praxim & mores derivari possint influentiis, abundè confirmatam dabo.

Imprimis, a Dogmatis hujus falsitate dissertationis telam ordiar, ostensurus quod adversâ fronte pugnet cum gloriosis Dei Op. Max. Attributis. Sed priusquam ad particulares instantias descendam, duas de Dei Attributis in genere considerationes præmittendas duxi, ne argumenti vis in ambiguo vertatur. Prima est, quod Attributa Dei non sint accidentia communia perfectionem aliquam denotantia quæ in essentia illius non continea-

 tur,

tur, aut quæ a ſubjecto ſuo abeſſe poſſit abſque illius interitu; imo ne quidem propria ejuſmodi ſine quibus etſi ſubjectum nunquam eſſe queat, tamen nihil repugnet quo minus abſque illis concipiatur. Sed quod unum idemque ſint cum eſſentiâ divinâ, multiplicemque quam in eâ, ſecundum noſtrum intelligendi modum, perfectionem animadvertimus, ſolum denotent. Ita æternitas Dei nihil aliud eſt niſi Deus ipſe æternus; juſtitia Dei, quàm Deus juſtus, *&c.* unde conſequitur Deum non magis aliquid attributis hiſce contrarium facere poſſe, quàm ſeipſum negare, aut eſſe deſinere. Secunda eſt, quod Bonitas, Sanctitas, Juſtitia & Veritas Dei, cum iiſdem virtutibus, prout

in

in hominibus ſubjectantur ſpecie conveniant, licet quoad gradum infinito diſtent intervallo. Si enim virtus Dei & noſtri, reſpectu æquivoce (prout ſomniant nonnulli) ſe habeat, quorſum Deum imitari, & illius imaginem referre jubemur; Certo certius eſt Scripturam nos ad Dei ſimilitudinem aſpirare quoad gradum non hortari, ergo vel quoad ſpeciem, vel non omnino.

His prælibatis ad ſpecialia illa Dei Attributa deſcendo, quibus *horribile* Reprobationis abſolutæ decretum bellum indicit. Quatuor enumerare impræſentiarum ſuffecerit, *viz.* Bonitatem, Sanctitatem, Juſtitiam, & Veritatem. Primo, Doctrina hæc cum Dei bonitate nullo modo conciliari poteſt.

test. Per bonitatem, non illam intelligo quâ Deus summum bonum est, sed quâ Deus erga creaturas suas bonus est, sive ad bonum suum aliis communicandum propensus. Hic affectus non modo proprie ac per se Deo competit: quippe qui simpliciter perfectus est, adeo ut Deus *solus bonus* dicatur, *Math.* 19. 17. Sed & prior est aliis omnibus affectibus qui Deo tribui solent, uti subtiliter admodum suo more sic demonstrat *Episcopius*. *Primum ejus objectum ad extra est nihilum. Primus ergo ejus effectus, ut sit ens, necesse est. At circa entia qua talia affectus omnes cæteri versantur. Entis autem productio ex nihilo, quia creatio propriè est, hinc primus actus bonitatis est Creatio.*

Unde

Unde concludit, *Nullum actum hoc priorem Deo tribui posse, quia nullus affectus prior in Deo esse, aut concipi potest, ex quo actus ille prodiisse dicatur. Et actum omnem hoc priorem circa nihilum qua nihilum occupari necesse esse.* Huic etiam succinere videtur *Gentilis Theologia*, quum *Amorem* deorum omnium Antiquissimum, & universi Patrem esse tradit. Unde & Commentum illud *Pherecidis* veteris Philosophi, Deum, quum universum conderet, se in *Amorem* transformasse. De quibus multa sublimiter & præclarè *Platonici*. Præterea, ut Bonitas sive boni communicandi propensio *primus* Dei *Affectus* est, sic etiam *principale* Dei *Attributum*. Non quod Attributa

Vid. *Plat.* Conviv.

tributa Dei ſimpliciter & in Naturis ſuis abſolutè ſpectata alia aliis dignitate cedant, ſed tantum quoad effectus & emanationes illas per quas nobis innoteſcunt, & quâtenus utilitatem ſive commodum noſtrum reſpiciunt. Et hoc nomine divinorum Attributorum principem bonitatem ſtatuimus.

Lib. 1. de Nat. Deorum.

Hinc *Cicero* contra *Velleium Epicureum*, *Cottæ* perſonâ diſputationem inſtituens, dicit *Epicurum Amore* Numen exuentem, *tollere id quod maximè proprium eſt optimæ præſtantiſſimæque naturæ. Nihil enim melius aut præſtantius bonitate & beneficentiâ.* Huic etiam quadrat

Epiſt. 95.

Senecæ illud affirmantis, *ſine bonitate nullam eſſe Majeſtatem.* Et ut liberè dicam

cam quod res eſt, quid nobis proderit alia omnia Attributa Deo ſarta tecta conſtare, ſi bonitatem unam demas? Sapientia (ſi ſolam ſpectes) veteratoriè nobiſcum agendi & technis circumveniendi facultatem ſubminiſtrat. Potentia etiam (modo ſolitaria ſit) ad tyrannidem in nos exercendam armat. Sed Deum horum aliquid facturum eſſe, ſola *bonitas* obſtat quo minus ſuſpicemur. Hoc tamen primo affectu, hoc principali & maxime amabili Attributo quod æternis Angelorum Hymnis materiam ſuppeditat, in quo tota noſtra fundatur ſalus & ſecuritas, quo uno denique Deus quaſi *gloriari* videtur (utpote Nomini ſuo Sacroſancto Appendicis inſtar inſerto) hoc

Exod. 34. 6.

inquam

inquam Sacrilego ausu Deum exuere conantur Reprobationis absolutæ Doctores. Quod, ut compendio simul & perspicuitati melius consulatur, in formâ sic demonstro.

Summo odio prosequi Creaturam qua talem, nullo modo consistere potest cum Bonitate Dei.

Sed absolutè hominem reprobare, est summo odio prosequi creaturam qua talem.

Ergo, absolutè hominem reprobare nullo modo consistere potest cum bonitate Dei.

De majore propositione constat ex ipsis terminis. Per bonitatem enim Dei intelligimus affectum illum quo Deus ad boni sui communicationem propensus

est;

eſt ; Quem bonitatis egreſſum neceſſario ſtatim excipit Affectus ſecundus, qui eſt *Amor* ille quo Deus fertur in rem Creatam veluti in fœtum ex aſſe ſuum, ac proinde ſibi ſimilem. Quo fit ut Creaturam qua talem odio propriè dicto (nedum ſummo) a Deo haberi poſſe impoſſibile ſit, niſi Deum ſævum, invidum, Μισάνθρωπον, & plane Ἄστοργον ſtatuamus. Minor etiam propoſitio ſuâ luce clara eſt. Si enim abſolutè hominem reprobare non ſit ſummo odio proſequi creaturam qua talem, quomodo reprobatio iſta erit abſoluta? Profecto neſcio quid obtendere poſſint Adverſarii quo demonſtrationis hujus ictum vel ſpecie tenus declinent, niſi putidum illud & evanidum Sophiſma

phiſma, Reprobationis ſcilicet decretum *abſolutum* vocari ſolum *Comparativè* non *fundamentaliter*. Id eſt, quod unum Deus reprobarit præ alio nullam extra voluntatis divinæ placitum cauſam quærendam eſſe. Sed quod aliquos omnino reprobare viſum fuerit, hominis lapſum & humani generis exinde natam Corruptelam in cauſâ eſſe. Verum hoc non eſt ingenuè & bonâ fide agere, ſed tergiverſari & ſubterfugia quærere. Rogatos enim velim qui dogmatis ſui deformitati ficulneum hoc folium prætexunt, cujus conſilio & deſtinatione fit ut lapſus *Adami* in generis humani Corruptelam cedat vel imputetur? Reſpondebunt, ſic a Deo conſtitutum eſſe. Itáne? Ad Dei igitur con-
ſtitu-

ſtitutionem tandem recurritur. Unde conſequitur reprobationem ſi ad fundum uſque retexatur undequaque abſolutam eſſe, ac proinde Deum Reprobantem ſummo odio proſequi Creaturam qua talem, ac proinde abſolutè hominem reprobare nullo modo conſiſtere poſſe cum bonitate Dei. Quod erat demonſtrandum.

Cap. II.

PRoximum Dei Attributum quod abſolutæ Reprobationis doctrina convellit, eſt illius Sanctitas. Bonitati divinæ eâtenus repugnat, quâtenus Deum perditionis hominum quàm plurimorum principem Authorem & primum Machinatorem eſſe facit.

Sanctitati repugnat, quâtenus Deum peccatorum omnium (Horresco referens) quæ a Reprobis admittuntur facit Authorem. Hæc propositio est genuina prioris proles. Nam si *Deus* ab omni retro Æternitate Reprobis æternam perditionem tanquam *finem* absolutè decreverit, peccatum etiam tanquam *Medium* decernat oportet; Aliter enim utrum in finali contumaciâ perseveraturi sint nec ne ambiguæ res est aleæ, & sic Deus fine sibi proposito excidere possit. Hoc etiam nonnulli perfrictioris frontis Authores, & quibus forsan argumenti hujus vis suboluit, rotundo ore affirmare non verentur. Sic enim *Piscator. Reprobi ad utrumque hoc malum a Deo præcisè destinati sunt, ut in æter-*

Resp. ad duplici *Vorstii*, Part 1. p. 220.

æternum puniantur & necessario peccent, & ideo peccent quo justè puniri possint. Et alibi. *Deus hoc consilio condidit homines ut reipsa laberentur, quippe cum nisi hàc ratione pervenire non potuerit ad fines suos principales.* *Zanchium* etiam ore non minus audaci idem quasi de Cathedrâ infallibili dictantem audire est. *Non dubitamus* (inquit) *confiteri ex immutabili Reprobatione necessitatem peccandi, & quidem sine resipiscentià ad mortem usque peccandi eoque & pœnas æternas dandi Reprobis incumbere.* Et hi quidem Authores Principiis suis satis consentaneè. Præstituto enim fine media etiam præstituantur necesse est. Si necessaria

Resp. ad Apol. *Bertii*, pag. 44.

De Nat. Dei, lib. 5. cap. 2. pag. 744.

ſit Reproborum damnatio parem etiam peccandi inque peccatis diem tandem obeundi neceſſitatem . illis imponi ſtatuendum eſt. Et quum tota hæc neceſſitas a decreto divino provenerit , Deum non eſſe verum peccati Authorem (quaſcunque ad rem incruſtandam venditent diſtinctiunculas) nunquam effectum dabunt. Duo ponunt, a quibus Deum illum cui *Seraphim* & *Cherubim* τρισάγιον in æternum canunt, peccati eſſe Authorem neceſſario conficitur. Primum eſt, Deum ex mero ſuo beneplacito homines omnes in ſtatu peccati & corruptionis conſtituiſſe. Secundum eſt, maximam generis humani partem in ſtatu iſto peccati & impotentiæ Deum relinquere, nec infirmitatibus eorum gratiâ ſuccurrere. Hi igitur miſeri Homun-

munciones in ſtatu iſto corruptionis & imbecillitatis conſtituti, ſibi relicti, & divinæ gratiæ ſuppetiis (Secundâ illâ poſt naufragium tabulâ) deſtituti, in omnia flagitia neceſſario ruunt, adeo ut ſi repetitis vivendi rudimentis ævum denuo auſpicari illis integrum foret, non aliter quàm prius vixerint, victuri eſſent.

Sed quaſi hoc Artificio Dei Sanctitas hominum peccatis non ſatis inquinaretur, reperti ſunt nonnulli qui Deum homines in ſtatum corruptionis induxiſſe, & gratiam illis neceſſariam ſubtrahere parum arbitrati, neſcio quos occultos motus excogitant, quibus Deum homines in peccata impellere blaſphemo ore perhibent. Teſtem appello illorum *Coryphæum* &

Vid. Inſtit. lib. 1. cap. 18. & l. 2. cap. 4.

Antesignanum Calvinum, qui Deum in impiorum cordibus operari & occultis instigationibus eos in mala protrudere, longâ oratione contendit, illosque quasi modestiæ laudem captantes & Mendaci patrocinio Dei justitiam asserentes redarguit, qui Dei *permissu* tantum non etiam *voluntate* fieri obtendunt; quæ *Satan* & omnes reprobi mala faciunt. Huic etiam ad amussim quadrat *Piscator*, qui Deum ad peccata quæ palam prohibet, occultâ ratione homines impellere affirmat. *Zanchius* etiam præfidenter asserit Deum omnia in omnibus operari, non tantum in piis, sed etiam in improbis. Sed tædet Blasphemiarum.

Resp. ad Apol. *Bertii* p. 144.

Miscell. pag. 4.

Ex his omnibus apertè sequitur

De-

Deum non tantum peccati Authorem esse, sed etiam modo longe deteriori quàm aut Diabolus sit, aut ipsi Reprobi; Diaboli tentationibus (utpote moralibus tantum incitamentis) facile obsisti potest. Sed absolutis Dei decretis & arcanis operationibus frustra contravenitur. Præterea, Reprobi merorum instrumentorum in peccatis perpetrandis vicem subeunt, quum Deus secundum hoc placitum caussæ principalis munere fungatur. Quàm opportunam hinc sibi in criminibus suis blandiendi perditissimi Nebulones ausam arripiant, ex elegantissimo illo *Luciani* Dialogo qui *Minois* & *Sostrati* titulo inscribitur (ad quem Lectorem remitto) dignosci potest. Dogma est Nebulonibus omnibus obviis ulnis amplectendum, cujus ea

vis eſt, ut nemo adeo Conclamatæ ſit improbitatis, cui non *Homerica* illa jure competeret Apologia,

———Ἐγὼ δ᾽ ἐκ αἴτιος εἰμὶ
Ἀλλὰ Ζεὺς καὶ Μοῖρα———

Verum ne, quomodo Sanctitas ſua Deo ſalva conſtet nihil omnino penſi habere videantur, quaſdam ad aures vulgi demulcendas adhibent diſtinctiunculas, quæ tamen in receſſu non habent quod primâ ſpecie præ ſe ferre videntur.

Diſtinguunt primo de duplici decreto, permiſſivo ſcilicet & operativo. Operativum decretum eſt quod efficaci & poſitivo influxu procurat effectum. Permiſſivum eſt, quod nullum obicem ponit quo minus aliquid exitum

tum ſortiatur. Jam aſſumunt, Dei decretum de Reproborum peccatis (licet aliqui diſtinctionem hanc quaſi frigidum commentum omnino rejiciunt, Deum non ſolum permittere, ſed etiam efficaciter velle peccata, tanquam pro Aris & focis acriter contendentes) non eſſe operativum, ſed tantum permiſſivum. Diſtinctioni huic (modo nulla ſubſit fraus) nihil habeo quod vitio vertam. Partes enim ejus ſatis aptè contradiſtinguuntur. Nec eſt quod permiſſivum decretum a Deo amoliri ſolicitus ſim, quum erga peccatorem ſe penitus extrinſecè habeat, libertatem ejus præſupponat, & nihil magis innuat, quàm quo minus in peccata ruat, *Remoram* non injicere. Iſtius modi permiſſio, & cum libero hominis arbitrio & cum

cum Dei ſanctitate ſatis amice conſiſtit; quoniam poſitâ tali permiſſione non magis peccare, quàm hominem nullis compedibus implicatum ambulare neceſſarium eſt. Et ſi nihil aliud per vocem illam intellectum vellent, tota Reprobationis fabrica peſſum iret, in noſtra caſtra tranſirent, & pax inter nos rata conſtaret. Verum (proh dolum) longe aliud in ſinu fovent. Permittere enim ſi illorum conſulas *Nomenclaturam*, gratiam neceſſariam ſubtrahere ſignificat, quâ ſubductâ peccatum non minus neceſſario ſequitur quàm Columnis Cuniculo ſupplantatis domicilii ruina. Jam *cauſa deficiens in neceſſariis fit efficiens*, & ſic Permiſſivum decretum in Operativum tranſit. Quo fit ut diſtinctio illa (prout ab illis perperam

ram uſurpatur) hoc nomine mihi diſpliceat, quod partes ejus coincidant. Sed aliam a fœcundo nugarum penu diſtinctionem profeverunt, eamque in paucis Charam. Duo ad peccati conſtitutionem concurrunt; aliquid Materiale, & aliquid Formale. Materiale peccati eſt ipſa actio, Formale eſt obliquitas vel enormitas actionis. Deum igitur dicunt Materialem peccati partem decernere, ſed non Formalem; hoc eſt, Deus homicidium fieri decernit ut actionem, non autem ut peccatum. Reſpondeo, diſtinctionem hanc (ut ut in illâ ſibi plaudunt) futilem, nugatoriam, & plane nullam eſſe. Multa enim ſunt peccata tam omiſſionis tam commiſſionis, in quibus obliquitas ab actione ne diſtingui quidem poteſt. Sed demus

mus obliquitatem ab actione posse mente distingui ; dum tamen illi individuo nexu semper adhæreat, impossibile est Deum actionem posse decernere , nisi etiam concomitantem decernat obliquitatem. Præterea, quorsum inter actionem & obliquitatem distinguunt, dum interim Reproborum actiones uti media a Deo decretas esse volunt , quibus ad æternam damnationem perducerentur ? Itane ? Tum ut formalia peccata, non ut meras actiones eas decernat oportet ; Quum nullo alio respectu Actiones damnationis accersendæ media sint , nisi quâtenus peccata. Nonnullas alias adhibent distinctiones quibus ut horrendum suum dogma cum Sanctitate divinâ in gratiam redeat annituntur. Sed eas consulto

missas

missas facio. Adeo enim sunt futiles & levidenses, ut iis eventilandis tempus insumere, sit bonas horas malè collocare.

Cap. III.

ATtributum Dei quod ab hoc impio dogmate proxime concutitur, est illius Justitia. Hoc etiam a priori absurdo necessario sequitur. Si enim Deus vi hujus dogmatis sit peccati causa principalis, Reprobis ob illa peccata pœnas æternas infligere quorum ipse solus Author erat, Justitiæ ejus ex diametro repugnat. Sed ut Argumenti hujus tractationem pressius & distinctius instituam, Justitiam Dei duobus hic modis oppugnari contendo. Primo, per ipsum

ipſum Reprobationis abſolutæ decretum. Secundo, per executionem decreti. Primo, decretum ipſum Reprobationis eſt injuſtum. Quod ſic demonſtratur.

Illud decretum quo ſtatuitur Deum deſtinare ad damnationem æternam eos quos conſideravit ut innocentes, vel quos ipſe ex mero voluntatis arbitrio & nihil tale commeritos, nocentes redditurus erat, eſt injuſtum.

Sed decretum Reprobationis hujuſmodi eſſe ſtatuitur.

Ergo eſt injuſtum.

De minore nulla poteſt eſſe controverſia, ſic enim a Supralapſariis ſtatuitur quoad priorem partem, & a Sublapſariis quoad poſteriorem.

Major vero quoad utramque partem eſt ſummæ injuſtitiæ ple-

na. Juſtitia enim non patitur ut ad pœnas æternas adjudicentur innocentes, cum culpa & pœna ita ad ſe invicem referantur, ut ubi nulla præceſſit culpa, pœna locum habere non poſſit. Neque cauſæ vacillanti omnino ſubſidio erit ad abſolutum Dei dominium ὑπεροχὴν ἀνευθυνίαν, & ſimilia confugere; ut ut enim Judicis & Domini partes in Deo quandoque diſtingui poſſint (quoties ſcilicet repetit tantum quod dedit, vel miſeriâ temporali Creaturam affecit quæ bonum quod a Deo accepit non excedit, & aliis beneficiis longe majoribus penſari poteſt) tamen ubi agitur de damnatione æternâ, quæ teſte Salvatore omnibus nudam exiſtentiam comitantibus bonis præponderat, neque ullo a Deo præmio

Mat. 26. v. 24.

mio compensari potest, Judicis & domini qualitates in Deo distinguere non licet. Uti fusè & nervosè admodum probat Doctissimus *Curcellæus* per totam illam verè auream dissertationem quam *De Jure Dei in Creaturas* instituit. Quibus addi potest, quod tale absolutum dominium Deo tribui non debeat, quod cum reliquis ejus proprietatibus pugnet. Quam præpostera jam justitiæ Methodus est hominem poenis infernalibus excruciandum adjudicare, priusquam peccati ratio habeatur! Sed ut tam blasphemi dogmati asperitatem emolliant & delicatioribus quàm ut tam Cruda intromittant palatis facilius deglutiendum propinent, aliud excogitarunt Artificium. Dicunt enim, quamvis Reprobos damnandi decretum

omnem

omnem peccati conſiderationem præceſſerit, decretum tamen iſtud executioni non mandari donec propriis ipſorum peccatis ſe damnationi reddiderint obnoxios. Sed hoc eſt cauſam ultro prodere, & ſibi non conſtare. Quæro enim, poſſitne Deus decretum hoc exequi ſine peccati interventu? Si affirmant, tum in hoc diverticulum fruſtra ſe recipiunt. Si negant, rationem quæro. Non poſſunt aliam aſſignare, niſi quia non peccantem punire injuſtum eſſet. Unde pari ratione ſequitur ipſum decretum fuiſſe injuſtum. Nam quod juſtitia non permittit ut fiat, neque etiam permittit ut decernatur. Hactenus de ipſius decreti injuſtitiâ. Proximo loco, quàm injuſta ſit illius executio diſſerendum mihi propoſui. Injuſtitia

justitia illius in hoc breviter consistit, quod Reprobi peccatorum illorum pœnas in æternum luant quibus evitandis impares omnino fuerunt. Reproborum peccata esse omnino inevitabilia docet arctissimus finis & mediorum nexus. Si a peccatis sibi cavere penes eorum arbitrium esset, etiam & damnationis ictum evitare possint, & sic e Reproborum Catalogo nomina sua expungere. Eadem igitur doctrina quæ damnationem necessariam esse statuit, peccatorum etiam necessitatem astruat necesse est. Consequentiam hanc agnoscunt Reprobationis fautores, ideoque Deum omnes Reproborum actiones & vitæ circumstantias ita dirigere & moderari volunt, ut in peccatis suis ad extremum usque diem necessario

perſeverent. Imo non minus efficaciter Deum reproborum peccata (Lenonis inſtar) procurare faciunt, quàm *Uriæ* mortem *David* machinatus eſt. Quemadmodum enim *Davidis* juſſu *Uria* in primâ acie ſtationem ſortitus eſt, ſic Deus (ut eorum fert ſententia) Reprobos in periculoſiſſimæ aleæ circumſtantiis conſtituit. Porro, quemadmodum *Uria* in extremo hoc diſcrimine conſtitutus, *Davidis* juſſu ab omnibus deſerendus, & belli furori circumquaque exponendus erat: ſic Deus Reprobis in lubrico poſitis, & a Diaboli miſſilibus ab omni parte impetitis, auxiliares gratiæ ſuæ vires ſubducit, adeo ut eos in prælio occumbere plane fatale ſit. Et quæ jam (quæſo) eſt illa juſtitia, puniri in æternum homi-

nes ob peccata illa quæ nullo modo vitare potuerunt? Idem est ac si nullo reatu constricti pœnas darent. Ubi enim nulla libertas, æquè ac ubi nulla lex, nulla est transgressio. Sed an omni libertate prorsus exuuntur Reprobi? Nihil minus. Liberè peccant respectu Suiipsorum, licet necessariò respectu Dei. Lepida quidem distinctio! Sed qualis est ista quam Reprobis competere volunt libertas? Possintne non facere quod faciunt? Minime gentium, talis enim libertas & necessitas toto genere a se invicem distant, adeo ut Contradictionem implicent. Qui igitur distinctionum fidiculis hanc libertatem & necessitatem ad se invicem adducere moliuntur, ii inanem operam ponunt. Contradictoria enim

enim non habent medium, ſed infinitè diſtant, uti probe norunt, qui Logicam vel primoribus labiis deguſtârunt. Sed an non ſponte ſuâ, ſummâ cum complacentiâ & pleno impetu Reprobi ruunt in vetitum? Imo pleniſſimo. Sed hæc non eſt libertas actionum moralium radix, ſed tantum immunitas a Coactione, quæ non eſt voluntatis affectio propria, ſed omnibus potentiis ſponte agentibus communis. Sic enim equus famelicus cum ad cibum ſe confert, ſummo quidem impetu hoc facit, equum tamen liberè agere quis niſi equo inſcitior dixerit? Et ſi huc tandem redeat omnis illa quâ Reprobi gaudent libertas, nec ut actiones illorum ſint moraliter malæ, nec ut illæſa Deo conſtet juſtitia ſufficit. Imo potius

tius Deum injuſtitiæ Cumulatius reum peragit. Hoc enim arguitur procurare Deum ut in propriam perditionem Reprobi conſentiant, & Mortis ſuæ ſententiam etiam calculo ſuo communiant. Quod longe crudelius & invidioſius eſt quàm ſi obtorto collo reluctantes, & penitus invitos exitio daret.

Cap. IV.

ULtimum Dei Attributum quocum Reprobationis abſolutæ decretum pugnat, eſt illius Veritas ſive Sinceritas. Univerſa divinarum actionum circa Reprobos adminiſtratio (ſi dogma hoc obtineat) Hiſtrionica, ridicula, & ſimulatoria redditur. Verbo

ho dicam, Deus ex hoc dogmate ſummus evadit Hypocrita. Per Hypocriſim intelligo contrarietatem inter ipſam mentem & illius quomodocunque factam ſive dictis ſive factis interpretationem. Hæc Hypocriſis per hoc dogma Deo affingitur, quia arcanam in Deo voluntatem patefactæ contrariam ſtatuit. Quoad patefactam voluntatem totum hominum genus ſummo amore ac paternâ benevolentiâ complecti videtur. Quoad arcanam vero, maximam generis humani partem ſummo odio habuiſſe, & ex mero beneplacito (proh verborum abuſum!) ad æternos cruciatus deſtinaſſe dicitur. Quoad patefactam voluntatem ſic mundum dilexit, ut filium ſuum unigenitum mitteret, qui pro *totius* mundi peccatis vi-

ctima esset *propitiatoria*, & mortem pro *singulis* gustaret. Quoad arcanam vero, Mundi partem longe majorem in beneficia per Christi mortem impetrata nihil juris habituram esse decrevisse dicitur. Quoad patefactam voluntatem, gratiosum & generale Fœdus cum hominibus iniit; Universis modo conditiones in fœdere requisitas præstiterint, vitam æternam pollicitus. Quoad arcanam vero, plerisque mortalium quo minus & conditiones præstent & promissum consequantur obicem posuisse dicitur. Quoad patefactam voluntatem Reprobos ad pœnitentiam invitat, ut secum in gratiam redeant patheticè rogat, promissis lactat, & gloriæ cœlestis acquirendæ spem facit; quoad arcanam vero, Polos citius in unum punctum

ctum conventuros, quam eorum quemvis gloriam cœlestem adeptum esse ratum fecit. Quorsum hæc omnia nisi ut Deo (qui veritas ipsa est) talis imposturæ & fraudulentiæ dicam impingant, a quâ vel scelestissimi Nebulonis animus abhorreret. Scio non deesse qui Deum nihil Reprobis in Evangelio promisisse contendunt, fieri vero per accidens quod Dei promissiones Reprobis proponantur, quod in Ecclesia visibili una cum electis sint permixti. Sed respondeo cum Doctissimo *Curcellæo*, *Si promissiones Evangelicæ ad Reprobos non pertineant, ergo neque mandata. Nam promissiones sunt mandatis adjunctæ, tanquam argumenta, quibus homines ad illis obtemperandum moveantur. Ideoque debent*

Instit. p.369.

bent tam latè patere quam ipſa mandata ; alioqui Deus inani ſpe illos lactaret, quos promiſſionum nunquam facere participes abſolutè decrevit. Sed quid illorum intereſt Deum habere promiſſorum liberalem, ſi non etiam & auxilii quo conditiones adimpleri poſſint, Authorem? Receptum eſt inter Juris peritos axioma, *Impoſſibilem Conditionem vitiare contractum.* Quis igitur cui Dei veritas & honor Curæ eſt, Evangelium (ſolennem illam Deum inter & humanum genus ſtipulationem) conditiones a pleriſque mortalium præſtitu impoſſibiles continere dixerit? Profecto novi fœderis miſericordiâ prorſus indignus eſt, qui hoc affirmare auſus fuerit. Et hoc tamen audent affirmare. Unde duplicem perſonam, & quaſi

ſanctam

ſanctam ſimulationem in Deo agnoſcunt. *Gratia Dei multis offertur in promiſſione quibus eam Deus minime dare conſtituit*, inquit *Piſcator.* Et iterum: *Gratia non offertur a Deo ſingulis licet vocatis animo communicandi eam, ſed ſolis electis.* Et iterum: *Etſi Reprobis mandat Deus ut Evangelio credant, non tamen vult ut credant.* Ut infinita alia quæ libros eorum vel incogitanter aperientibus occurrent, miſſa faciam. Quot hic blaſphemiarum plauſtra in Deum exonerantur! Qualem hic nobis depingunt Deum, omnibus Bonitatis, Sanctitatis, Juſtitiæ & Veritatis attributis exutum, ſolâ potentiâ & voluntate armatum, quæ Diaboli eſt Idea germaniſſima! Male eſſet rebus humanis, ſi penes talem Deum rerum habenæ eſſent.

Libe-

Liberè profiteor infirmitatem meam, Me talem Deum colere non posse, nec in animum meum inducere quomodo (si in naturâ suâ verè talis sit qualem Reprobationis absolutæ Doctores Orbi delineatum exhibent) amoris nostri objectum esse possit in hoc sæculo, aut visionis Beatificæ in futuro.

CAP. V.

HUcusque Dogmatis hujus falsitatem ex eo demonstravi quod adversâ fronte pugnet cum gloriosis Dei Opt. Max. Attributis. Proxima provincia est ut eandem ex eo quod Scripturæ repugnet demonstrare aggrediar. Dogma hoc Scripturæ bifariam repugnat. Primo, multis expressis

pressis Scripturæ locis apertè contradicit. Secundo, totius Scripturæ scopum & finem frustratur & irritum reddit. Loci quibus hæc doctrina repugnat sunt innumeri, sed compendii gratiâ non nisi paucos in medium proferre libet. Quorum hic agmen ducat, *Deus unicuique homini benevolus est, & misericordia ejus super omnibus operibus ipsius.* Psal. 145. Quid apertius ? Ne tamen ad incitus redactos esse putes, inter Reprobationis absolutæ decretum & amoris divini universalitatem rem sic componunt. Deo duplicem esse amorem dicunt; generalem & specialem. Primum ad omne genus humanum imo ad totum universum extendi volunt. Secundum Electorum esse in peculio. Non igitur obstare Re-

proba-

probationis decretum quo minu aliquo ſenſu Deus univerſum ho-minum genus amore complecti di-catur. Sed oſtendant mihi So-phiſticæ hujus Theologiæ Docto-res Reprobos vel *generaliſſimi* De amoris ullo modo participes eſſe Imo inquiunt Deus illis vitæ au-thor eſt, & multorum etiam bo-norum temporalium. Ridicule quaſi fragilis vitæ brevis uſura & opum temporalium phaleræ dam-nationis æternæ miſeriam reſarcire poſſint. Fateor Creationem in ſe ſimpliciter ſpectatam ſummi a-moris opus eſſe, Creaturamque (modo obligationis Capacem) ad obſequia Creatori præſtanda mul-tis nominibus obſtringere; Crea tamen nullum alium ob finem, ni ut quod exiſtentiâ donat, ſit æter-næ miſeriæ capax, tanto plus od

qua

quam amoris in ſe habet, quanto miſeræ illi Creaturæ non eſſe quam eſſe ſatius fuerit. Sed ad alium Scripturæ locum provoco. *Deus ſic dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum mitteret, ut quicunque in eum crediderit, non periret, ſed vitam æternam haberet.* Et ne hic loci pro more ſuo cavillentur, Deum velle ut omnes qui conditiones in novo fœdere requiſitas præſtant ad vitam æternam perveniant, nolle tamen ut omnes iſtas conditiones præſtent; Deus alio loco teſtatum facit ſe non minus velle ut conditiones præſtent, quam ut præſtantes promiſſi fiant compotes. *Qui vult omnes homines ſalvari & ad cognitionem veritatis venire.* Et alio loco. *Qui*

Joh. 3. 16.

1 Tim. 2. 4.

2 Pet. 3. 9.

neminem

neminem vult perire , *ſed omnes ad reſipiſcentiam tendere.* Et ne adhuc quid ſiniſtri Deum in ſinu fovere credamus , Deus eandem veritatem adhibito gravi juramento confirmat. *Vivo ego dicit Dominus Deus*, *nolo mortem impii* , *ſed ut convertatur impius a viâ ſuâ*, *& vivat.* Neſcio quo *Gloſſemate* textum hunc pervertere poſſint , niſi jejuno & frigido iſto , Deum nolle mortem peccatoris reſipiſcentis. Sed huic interpretationi, ſeu potius detorſioni textum, alium oppono qui diſertis verbis dicit , *Deum nolle mortem morientis.* His poſitivis teſtimoniis *Mantiſſæ* loco propoſitionem hanc unam Hypotheticam adijciam. *Si quis vero ſe ſubduxerit*, *non probat*

Ezech. 33. v. 11.

Ezech. 18. 32.

Heb. 10. 38.

bat eum anima mea. Ubi propria hominis defectio quod Deus illum odio habuerit, in causâ esse statuitur. Unde licet arguere Deum neminem deserere sive rejicere, nisi prius ab eo fuerit ipse desertus.

Superest jam ut totius Scripturæ scopum & finem per hoc Dogma frustraneum & irritum reddi demonstrem. Deus in Sæcula benedictus fœlicitatis suæ communicandæ studio permotus hominem creavit, quem ut fœlicitatis illius cujus in partem adoptandus esset capacem redderet, leges & bene vivendi regulas palam hominibus promulgari curavit, ex quibus discant quid sibi faciendum quidve vitandum sit. Leges istas promissione præmiorum, & comminatione pœnarum sanxit,

variis etiam hortatibus, expostulationibus & admonitionibus, ut ad obedientiam iis præstandam induceremur nobiscum egit, dicens se proposuisse in conspectu nostra vitam & bonum, & e contrario mortem & malum, benedictionem & maledictionem, & (quod rei caput est) una denuncians se mundum olim in justitiâ judicaturum, & unicuiq; secundum opera redditurum. Contra vero Prædestinatio absoluta sic loquitur: Deum primo decretum immutabile apud se ratum habuisse de aliquibus præmio afficiendis de aliis vero puniendis nullâ vel illorum obsequii vel horum contumaciæ ratione habitâ, & deinde leges promulgare secundum quas se de quovis homine rationem exacturum, morigeros præmio, immorigeros

rigeros vero supplicio affecturum dicit. Quorsum leges ferre, & præmiis & pœnis sancire post absolutum decretum? Mera est *Histrionia* & *Scenica* dispensatio ad miseris hominibus illudendum comparata. Sed ut districtius agam. Scriptura per hoc Dogma tota inutilis & irrita redditur, tum quoad Electos, tum quoad Reprobos. Primo, quod ad Electos attinet, illorum conversio irresistibili Dei potentiæ in solidum accepta fertur, idioq; non magis suasionum Moralium efficaciæ ascribi debet, quam præternaturales magiæ effectus externis barbara vocabula recitandi, & Characteres inertes scribendi ritibus imputandi sunt. Quod ad Reprobos attinet, internâ Dei vocatione destituuntur, sine quâ externa

nihil valet. Sed respondentes audio, quamvis nullum ex Scripturâ fructum percepturi sint Reprobi, Scripturam tamen etiam illorum respectu non irritam reddi. Quum expediat imo necessarium sit salvationis acquirendæ media ipsis offerri,& manibus præsto adesse, ut inde fiant inexcusabiles. Sed in hâc responsione duo veniunt reprehendenda. Primum est, quod Scriptura Reproborum respectu impropriè admodum & abusivè *Medium* salutis acquirendæ dicatur. Quum nihil *Medii* nomine dignari soleamus, nisi quod ad finem assequendum inservire & conducere possit. Scriptura vero Reprobis hoc nomine nullâ tenus inservit, nec inservire potest, & consequenter illorum respectu *Medium* non magis appellari debet,

quam

quam Remi manibus hominis ſe ad volandum comparantis poſiti *Media* ad iſtum finem dicendi ſint. Sed obſervatu dignum eſt, quam diſſentanea, quam principiis ſuis pugnantia loquuntur. Quum enim aſſerunt Reprobis *Media* ſalutis acquirendæ præſto eſſe, eodem recidit, ac ſi dicerent Reprobos poſſe ſalvari. Nec minori laborant abſurdo quum Scripturam Reprobos *inexcuſabiles* reddere dictitant. Quis enim ſani ſincipitis illos *inexcuſabiles* eſſe dixerit, qui virium defectum invincibilem & officii præſtandi impoſſibilitatem delictis ſuis excuſandis obtendere poſſunt? Nemo inexcuſabilis jure merito dici poteſt, niſi quem penes eſt ſufficiens & idonea parendi facultas. Sed quàm amice in Cauſæ ſuæ ſuffoſſionem mècum

conſpirant *perbenigni* Adverſarii! Quum enim affirmant Deum exhibitis ſalutis acquirendæ *Mediis* Reprobos reddere *inexcuſabiles*, perinde eſt (modo intelligibiliter & ad captum humanum loqui velint) ac ſi dicerent Deum abundè a parte ſuâ quod e re Reproborum eſſet præſtitiſſe, & ſi eos ſalute æternâ contigerit excidere, ſibi ipſis non Deo vitio vertendum eſſe. Quod eſt in noſtra caſtra tranſire. Si autem ſuis principiis conſtare, & neceſſariam Reproborum omnium damnationem aſſerere malint, eam non aliter tueri poſſunt, quam negando *Media* ſalutis æternæ Reprobis offerri, eoſq; inde *inexcuſabiles* (hoc eſt ſatis ad obſequium Deo præſtandum inſtructos) reddi. Quod ſi fecerint, Scripturam irritam & inutilem reddunt.

Li-

Liber Secundus.

Cap. I.

ABſolutâ jam primâ meâ Dogmatis prædicti falſitatem & abſurditatem demonſtrandi provinciâ, poſcit inſtituti mei ratio, ut ad ejus malignitatem a perniciofis quam plurimis quæ vel ab eo derivantur, vel ſaltem (ſi homines ſecundum illius principia vitam inſtituerent) in praxim & mores derivari poſſint influentiis demonſtrandum me accingam. Noxias omnes (ſaltem præcipuas) hujus Dogmatis influentias ad tria Capita revocabo.

Primo, naturâ ſuâ comparatum eſt ad omnem Religionem radicitus extirpandam.

Secundo, ad omnis Regiminis Civilis inter homines constituti subversionem directè tendit.

Tertio, homines in insuperabilem Desperationis gurgitem præcipites agit.

Quod hoc Dogma naturâ suâ comparatum sit ad omnem Religionem radicitus extirpandam imprimis ab illâ ipsâ (de quâ jam ubertim egimus) illius cum Attributis Divinis expugnantiâ, licet arguere. Perfectiones enim & Attributa Dei Religioni basim substernunt: Unde sublatis istis Dei Attributis Religio omnis corruat necesse est. Quod effatum adeo luci naturali consentaneum ut etiam ipsis Ethnicis innotuerit. Unde Cicero. *Præstans Deorum natura debet ipsa per se ad se colendam elicere*

De nat. deor lib. 1.

elicere ſapientem. *Seneca* etiam eidem ſuffragantem habemus. *Deus colitur propter eximiam Majeſtatem ſingularemq; naturam.* Impoſſibile enim eſt ut ſeria & attenta de perfectionibus Divinis cogitatio non ultra nudam, ſterilem, & inertem ſpeculationem excurrat. Omnia illa officia quæ circa Dei cultum verſantur debitis illis quas de variis illius Attributis apprehenſiones pectore fovemus originem ſuam acceptam ferunt. Verbi cauſâ. Divinæ bonitatis attenta meditatio, devotionis, & amoris *Seraphici* flammas accendit. Divinæ ſanctitatis contemplatio ejuſdem in nobis æmulationem parit, & ut illi quam ſimillimi evadamus, ſtudium. Divinæ juſtitiæ meditatio nos ad obedientiam allectat ſpe præmii, & ab omni

im-

impietate deterret metu pœnæ. Divinæ deniq; veritatis consideratio cui fides nostra innitatur fundamentum substernit. Quum igitur Reprobationis absolutæ doctrina Deum omnibus his attributis exutum proponat, Religionis etiam universæ columnas & fulcra demoliatur necesse est. Quomodo enim Deum illum summi amoris objectum sibi præfigere possunt Reprobi, quem implacabili odio sibi infestum habent, & quem malorum omnium in rerum naturâ maximum arbitrantur? Quomodo Deum illum in sanctitatis exemplar sibi proponent, quem scelerum omnium *Architectum* & in sævissimis Tragœdiis partium quibus unus quisq; fungeretur *Designatorem* esse sibi persuasum habent? Quomodo justitiæ divinæ contemplatio

platio vitam male actam in melius commutandi propositum illis suggeret, quum stante Reprobationis decreto vel vitæ emendatio nihil illis proficua erit, vel ad meliorem frugem redire prorsus erit impossibile? Quomodo deniq; in Deo illo spem & fiduciam suam reponent, quem tam fallacem, tam ambidextrum, tam *Punicæ* fidei veteratorem esse audiunt? Sed ut rem pressius attingam. Quam inimicum sit hoc Dogma serio sanctimoniæ studio, vel hinc abundè liquet, quod duo præcipua ad pietatem suadendam incitamenta longe summoveat; Spem scilicet & Metum? Primo spem omnem summovet eamq; duplicem. Spem scilicet ut sancti evadant unquam Reprobi. Et spem ut inde lucri aliquid sibi consequantur. Utramq;

Utramq; ſummovet. Primum patet ex arctiſſimo illo nexu quem inter Finem & Media intercedere demonſtravimus. Idem illud Decretum quod ab æterno damnationi Reprobos immutabiliter conſignatos dedit, a ſanctimoniâ conſequendâ ſemper arcet. Quorſum igitur ad vitæ ſanctimoniam cujus compotes fieri nunquam poſſunt irrito conatu aſpirarent? Finis illis ab altero abſolutè figitur, nec minus Media. Indeclinabilem ſortem vitare velle ſumma eſt dementia. Quorſum igitur Regnum Dei & Juſtitiam ejus inveſtigantes inani labore ſe conficerent? Nonne Salvatoris dictum illis accomodare licet. Quare de his ſoliciti eſtis? Οὔτε γὰρ περὶ τῶν ὁμολογουμένων, οὔτε περὶ τῶν ἀδυνάτων τις βουλεύεται·

Nemeſius de naturâ hominis, pag. 257.

Neq;

Neq; enim de his quæ certa ſunt, neq; de his quæ fieri nequeunt quis deliberat. Fruſtra igitur ad vitæ ſanctimoniam anhelatur, quum eam nullo ſtudio nullâ induſtriâ conſequi poſſint, vel ſi potuiſſent, neutiquam illis profutura eſſet. Quamvis enim certo certius ſit individuam illum Finem inter & Media connexionem ſemper obſtaculo fore quo minus ille de cujus capite Reprobationis ab æterno lata eſt irretractibilis ſententia, vitam bene inſtituat, fingas tamen poſſe, non eſt ut abſolutum & immutabile decretum ſui ergo refixum iri ſperet.

——*Fati ſtat ferreus ordo.*

Res eſſet minoris operæ ſolis vehiculo ſufflamen objicere, orbes in circumgyratione ſuâ prehenſos intercipere, anni in ſe vertentis curſum

cursum morari totum deniq; Naturæ ordinem susq; deq; vertere, quàm decreta divina eventu suo frustrari. Rectè igitur & principiis suis satis consentaneè *Marloratus*, *Stat igitur firma sententia : Quemcunq; Deus ante conditum orbem elegerit, eum non posse perire : Quem vero rejecerit, eum non posse salvari, etiamsi omnia sanctorum opera fecerit ; usq; adeo irretractabilis est sententia.* Hoc posito stultus sit oportet qui religioni operam navet. Quum longè præstet otio pandiculantem vel manibus complicatis sedentem perire, quàm officio gnaviter incumbere, & nihilominus perire.

In expos. in caput *Joan.* 15. ver. 11.

Demonstratio jam Dogmatis hujus perniciosi vi spem omnem concidere,

cidere, ſupereſt ut etiam metum omnem ab illo tolli demonſtrem. Quemadmodum ſpei objectum eſt bonum acquiſitu poſſibile, ſic objectum metus eſt malum vitabile. Metus enim nihil alium eſt quam (ut optimè definit *Cartesius*) *animæ diſpoſitio quæ ipſi ſperſuadet malum aliquod non eventurum.* Quod ſane ſupponit eſſe vitabile. Quod neceſſarium eſt & indeclinabile non metus objectum eſt ſed triſtitiæ. Jam (ut aſſumam) juxta Prædeſtinationis abſolutæ Dogma Cœlum & Inferi non ſunt objecta poſſibilia ſed plane neceſſaria. Prout unicuiq; jacta eſt alea, ſic illi eveniet. Unde ſpei vel metui nullum ſubeſſe locum liquido conſtat.

De paſſion, pag. 74.

Ex prædictis conſequentiâ certiſſimâ deducere licet Reprobati-

onis

onis abſolutæ doctrinam ad omnem religionem ſubvertendam aptam natam eſſe; quia ſcilicet omnia quibus innitur fundamenta ſuffodit. Sed priuſquam de ſecundo maligno influxu verba faciam, quàm amica ſit religionis ſtudio Prædeſtinationis altera pars (Abſolutæ ſcilicet Electio) paucis expendam. Omnis cultus religioſus duobus his Capitibus comprehendi ſatis commodè poteſt. Vel enim conſideratur ut medium ſive Conditio ad beneficia conſequenda requiſita. Vel ut gratitudinis actus pro beneficiis a Deo jam impetratis. Abſoluta Electio neutro reſpectu ad religioſum Dei cultum ingenerandum comparata eſt. Primo ad religioſum Dei cultum quatenus medium ad conſequenda beneficia Electos
non

non provocat. Quod ſic demonſtrat ſummus vir, nec ſine veneratione nominandus, *Epiſcopius. Beneficium ſummum electionis ad ſalutem ante & citra omnem reſpectum cultûs religioſi, Electi jam habent a Deo: Et ex vi electionis tum ipſum cultum, tum cætera omnia beneficia, inevitabili prorſus neceſſitate a Deo conſecuturi ſunt, adeo ut ſuperfluus labor futurus eſſet. Si de cultu tanquam medio ſive conditione requiſitâ ad conſequendum Dei beneficia curam aut ſolicitudinem ullam ſuſciperent. Unde conſequitur neceſſe non eſſe, ut vel peccare timeant, vel cum peccarunt de peccato doleant & de reſipiſcendo cogitent. Quia per hanc ſententiam ſtatuitur fieri non poſſe ut in peccata incidànt, niſi Deus gratiam ſuam iis auferat, & quan-*

Inſtit. The. lib. 4. 412.

 do

do iis aufert fieri non posse ut non incidant in peccata; tum quando in peccata jam inciderunt & in iis longo tempore perseverant fieri non posse ut per ea ex gratià electionis excidant, & non aliquando tandem vel in Capulo vitæ ad resipiscentiam a Deo adducantur. Quoquo enim modo se egerint, non potest erga eos alind quàm Deus definivit accidere. Nec magis ad cultum Dei provocat absoluta electio quatenus actum gratitudinis pro beneficiis a Deo jam impetratis. Quod sic etiam a prædicto viro demonstratum habe. *Per hanc sententiam statuitur gratitudinem quæ obedientiæ & cultus religiosi Deo debiti pars est, in Electis per divinam irresistibilem potentiam effici, uti alia omnia opera bona. Ut autem merus divinæ irresistibilis operationis*

effectus

effectus in homine sine homine gratitudinis quam homo ex officio suo Deo præstat actus sit plane ἄλογον est. Deinde per istam sententiam statuitur decretum electionis usq; adeo immutabile esse, ut per nulla prorsus quantumvis enormia peccata tolli aut enervari possit. Ex quo consequitur nec ingratitudinis peccatum efficere posse ut decretum istud irritum fiat: ac proinde necesse non esse ut electus de peccato ingratitudinis vitando solicitus sit; imprimis cum certus ac persuasus jam est, non tantum fieri non posse ut per ulla peccata, ac proinde etiam non per negligentiam gratitudinis, excidat ex gratiâ electionis & justificationis, sed etiam certo futurum, ut quanquam hodie ingratus est, suo tamen tempore rursus in eo ex vi decreti sui absoluti efficiat Deus ut

 gratus

gratus quaſi eſſe velit ; *id eſt, ut effectum divinæ operationis qui gratitudo per* κατάχρησιν *vocatur, recipiat.* Nihil igitur electorum intereſt utrum de religione colendâ ſoliciti ſint necne, quum electionis decretum adeo firmum & immutabile ſit,ut vel ſine religionis cultu vitam æternam conſecuturi ſint, vel Deus omnipotenti gratiâ ut boni evadant ſit effecturus. Unde nihil obeſſe video quo minus ab utrâq; Prædeſtinationis parte Religioni æque timendum eſſe ſtatuam. Hujuſmodi enim ratiocinium ſecum inſtituere cuilibet integrum eſt (quod quamvis populare ſit *Dilemma*, tale tamen eſt, cui a nemine hâctenus ſatisfactum eſſe perſuaſum habeo) vel ſum ex numero Electorum, vel ex numero Reproborum. Si prius, animo ſim

ſim licet, uſq; miſſo & diſſoluto, ſalvus evadam. Si poſterius, ſim licet uſq; vigil & ſolicitus, damnationis ſententiam eludere non potero. In primo caſu Religionis ſtudioſum eſſe ſuperfluum eſt, in ſecundo fruſtraneum. Sed hic exclamantes audio hoc eſſe carnale ratiocinium, & Diaboli dialecticam. Media a fine non eſſe divellenda. Electos licet ad ſalutem æternam certo deſtinatos, ad eum tamen Finem non niſi per Media perventuros, & ſic porro. Quod ut illuſtrent, exemplum adhibent & ſimilitudinem Exemplum petunt ab hiſtoriâ Naufragii *Paulini.* Ubi quamvis omnes ad terram incolumes appulſuros in decreto divino eſſe conſtiterit, dixiſſe tamen Paulum legitur, *Niſi hi in nave man-* Act. 27.

ſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis. Similitudo quam adhibent hæc eſt. Deum hoc anno meſſem futuram abſolutè decreviſſe, male tamen inde concludi agriculturam ſupervacaneam eſſe. Ut ad hæc omnia reſpondeam. Dicunt imprimis, Prædeſtinationem quorundam ad ſalutem media non excludere, ſed potius includere. Ita eſt, ſed quia ſimul dicunt Deum in quibuſdam media illa vi irreſiſtibili operari, tantum abeſt ut talis Media inter & Finem connexio ad religionis ſtudium hortetur, ut ſecuritati latiſſimam feneſtram aperiat. Quod ad exemplum illud tritum attinet, Reſpondeo, ex eo ipſo quod S. *Paulus* dicebat, *Niſi hi in nave manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis*, manifeſto conſtare eum non credidiſſe, Deo de navigantium ſalute

abſolutè

absolutè decretum esse, sed sub Hypothesi, quod consilio ejus salutari morem gererent. Quod ad similitudinem. Nego Deum absolutè messem decrevisse. Nam si ita haberet, non est quod Rustico Logicam quis desideret, si in hunc modum argumentaretur. Deus absolutè decrevit terram meam anno jam appetente segetem edituram. Vel igitur sine adhibitâ agriculturâ messis mihi erit, vel agrum meum a nonnullo cultum iri plane necessarium & fatale est. Utrumvis horum Rusticum ab omni de agro colendo solicitudine missum facit. Sed objiciunt iterum: Quamvis ab omni æternitate de cujusq; capite vel Electionis vel Reprobationis lata est sententia, quum tamen nemini notum sit quis electus quisve Re-

probus, nos omiſſis circa decreta divina curioſis inquiſitionibus officio noſtro ſedulam navare operam debere, & eventum Deo committere. Ridiculè! Quaſi ignorantia humana rem aliquâtenus immutaret. Quicunq; generalem Electionis & Reprobationis abſolutè doctrinam inter Symboli ſui credenda numerat, licet in quonam ipſe Catalogo ſcriptus ſit ignoret, ſcit tamen per utramvis Prædeſtinationis partem, Religionis omne ſtudium evacuari, & incaſſum cedere. Si enim electorum albo inſcriptus ſit, ſanctitatis omnis ad finem illum requiſitæ neceſſario compos evadet, ſin nigro Reproborum Catalogo, ſanctitate non minus neceſſario excidet. Conſultius igitur illi eſſet (juxta hanc Hypotheſim) complicatis mani-

manibus ſedere, eventum patienter expectare, & interim *Genio* (dum licet) indulgere.

Cap. II.

Religionis excidium Regiminis omnis civilis ruina excipit. Finis enim & ſcopus ad quem Regimen omne Civile quaſi collineat, eſt ut homines in officio piè & honeſtè vivendi contineat, propoſitis ad iſtum Finem commodius aſſequendum, tum præmiis tum pœnis (ſed præcipuè pœnis) temporalibus. Admiſsâ vero Prædeſtinationis abſolutæ doctrinâ virtutis & vitii ratio tollitur, & conſequenter nullus vel præmiis vel pœnis locus relinquitur. Tunc cum *Cicerone* dicendum eſt, *Omnis humana*

humana vitâ subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur. Neq; *ullà justitià bonis præmia & malis supplicia constituta sunt.* Ubi necessitas dominatur ibi nec damnatio nec corona. Sublatâ enim hominis libertate de virtutis & vitii distinctione conclamatum est. Virtus omnis (juxta hanc Hypothesim) in *merum nomen* verè evaderet, & vitium extra Phantasiæ Claustra nihil esset. Nam ut pulcrè ait Tragicus, *Fati ista culpa est, nemo fit fato nocens.* Sed ut distinctius & articulatius procedam, virtutis & vitii sigillatim rationem per Dogma *Prædestinarium* omnino tolli demonstrabo. Virtutis in Electis, & vitii in Reprobis. Primo, actiones illæ electorum quæ virtutum nomine

nomine veniunt, virtutes revera non ſunt. Res patet, quoniam a libero principio non proveniunt, ſed neceſſario fiunt. Conſequentia hæc ſolis radio ſcripta eſt Minorem ipſi agnoſcunt, dum pro Gratiæ divinæ irreſiſtibili efficaciâ contendunt. Virtutes illorum (da veniam *Solœciſmo*) non humanâ induſtriâ cum divinæ gratiæ ſuppetiis cooperante acquiruntur, ſed divinitus infunduntur, nec actiones propriè ſunt, ſed *Enthyſiaſtici* motus & divini *effectus*. Vatum inſtar *Pythonicorum* a divino ſubiguntur impulſu, non agunt niſi acti, nec plus nec minus boni quàm faciunt facere poſſunt, ad *dimenſum* ſancti. *Mechanica* quidem Theologia, & genii *liberalis* homine prorſus indigna. Si hoc ſit Dei mandatis obſequi, *ignem*



Psal. 148. *& grandinem, nivem & vapores, ventum & procellam* non minus quam Electos *Dei verbum adimplere* dici possit. Quum igitur omnis virtutis ratio vi Dogmatis hujus in nihilum evanescat, nullum illis quæ virtutes audiunt actionibus præmium deberi sequitur.

Secundo, per doctrinam hanc, vitii ratio tollitur in Reprobis. Libertate præditus sit oportet, qui peccandi capax est. Illa sola actio perpetranti reatum affricat, quæ non solum quoad materiam sit quid ἄνομον, sed etiam respectu personæ vitabilis. Jam vero actiones illæ Reproborum quæ peccatorum nomine designari solent, non sunt vitabiles, ac proinde veram peccatorum Naturam non habent. A regulæ quidem præscripto de-

deviant, ſed non magis inter peccata numerari debent quam Muſici inſtrumenti diſcors ſonus, aut aberrantes Horologii motus. Unde conſequitur pœnam illis aſſignari nullo jure poſſe. De Magiſtratibus quibuſdam legere eſt, qui præ paſſionis alicujus (quæ voluntatem inclinare quidem, non vero abſolutè determinare poteſt) impetu delinquentes impunè dimittere æquum putabant. Memorabilis in hanc rem in *Aulo Gellio* extat hiſtoria. Quæ ſic habet. Ad *Cn. Dolabellam* Proconſulari imperio provinciam *Aſiam* obtinentem, deducta mulier *Smyrnæa* eſt. Eadem mulier virum & filium eodem tempore venenis clam datis vitâ interfecerat: atq; id feciſſe ſe confitebatur; dicebatq; habuiſſe ſe faciendi

Lib. 12. cap. 7.

di

di causam, quoniam iidem illi maritus & filius alterum filium mulieris ex viro priore genitum adolescentem optimum & innocentissimum exceptum insidiis occidissent. *Dolabella* retulit ad consilium. Nemo quisquam ex consilio sententiam ferre in causâ tam ancipiti audebat. Quod confessum veneficium, quo maritus & filius necati forent. Non admittendum impunè videbatur, & dignâ tamen pœnâ in homines sceleratos vindicatum fuisset. *Dolabella* eam rem *Athenas* ad *Areopagitas*, ut ad Judices graviores exercitatioresq; rejecit. *Areopagitæ* cognitâ causâ accusatorem mulieris, & ipsam quæ accusabatur centesimo anno adesse jusserunt. Sic neq; absolutum mulieris beneficium est, quod per leges non licuit; Neq; nocens

dam-

damnata punitaq; quæ digna veniâ fuit. Quid jam facturos Judices augurari licet, si mulierem istam Decreti alicujus ineluctabili vi ad veneficium illud perpetrandum adactam fuisse putarent? Procul dubio omnium suffragiis insons emergeret.

Porro quemadmodum (stante Prædestinationis Hypothesi) nec optimæ actiones præmium, nec pessimæ pœnam mereri possunt, ita nec maxima præmia vel unam virtutem proveherent, nec maximæ pœnæ vel ab uno vitio deterrerent. Quod ad Electos spectat, virtutes illorum (vocis incongruitati veniam deprecor) per irresistibilem gratiam illis ingenerantur, adeo ut ad illas acquirendas media Moralia in subsidium vocare frivolum sit & ineptum. Quod ad

Re-

Reprobos, tam pleno impetu, tam necessario in flagitia omnia ruunt, ut vel ipsius inferni (nedum pœnarum temporalium) metus illos a legum septis violandis arcere nequeat. Adimplenda est peccatorum præordinatorum justa mensura, legibus omnibus tum divinis tum humanis incassum reclamantibus. Et quorsum hæc? Nempe corruunt unà cum templis Tribunalia, Regimen omne civile cum religione susq; deq; vertitur. Nec optimis legibus reipublicæ saluti consulitur, nec a pessimis illi damni quid infertur. Præmia & Pœnæ non solum injustè adhibentur, sed & inutiliter, nec bonorum nec malorum numerus vel augetur vel minuitur, sed omnia ex fatorum præscriptione (quasi nullæ leges essent) eventum sortiuntur.

Cap. III.

JAm tandem ad ultimam Provinciæ meæ partem deventum eſt, in quâ Reprobationis abſolutæ doctrinam ex genio ſuo homines in inſuperabilem deſperationis gurgitem præcipites agere, demonſtrandum propoſui. Doctrinam hanc Deſperationis anſam quam plurimis exporrigere vel acerrimi ejus Propugnatores non diffitentur. Sic enim *Calvinus* : *Rariſſimus eſt cujus non interdum animus hâc cogitatione feriatur, unde tibi ſalus niſi ex Dei Electione? Electionis autem quæ tibi Revelatio? Quæ ſi apud quempiam ſemel invaluerit, aut dris tormentis miſerum perpetuo excruci-* Inſtit. lib. 3. cap. 24. pag. 196.

at, aut reddit penitus attonitum. Idem etiam ſatentur omnes, ſed una dicunt Deſperationem non eſſe genuinum Dogmatis hujus fructum, ſed per accidens & hominum quorundam culpâ oriri, qui *Salutari* hâc doctrinâ ſicut & aliis permultis in perniciem propriam abutuntur. Ut igitur telum vibrem quod pertingat, doctrinam hanc ad deſperationem hominum mentibus ingenerandam ex propriâ ſuâ indole comparatam eſſe, demonſtrabo. Quomodo enim fieri poteſt ut qui Doctrinâ hâc ſymbolum ſuum auget, non in hunc modum ſecum meditetur? De capite omnium abſoluta & irretractabilis antequam nati eſſent lata eſt ſententia. Numerus electorum ad ſalutem perexiguus. Numerusvero deſignatorum ad mortem

tem permagnus. Longe verisimilius igitur est me ad permagnum Reproborum quam ad perexiguum Electorum numerum pertinere. Quod si in miserâ illâ Reproborum classe sim (quod & ita esse insusurat mihi malus Augur animus, ita vero non esse nemo potest demonstrare) quid superest nisi ut de salute penitissimè desperem? Nunquàm mihi vel credere vel pœnitentiam agere posse dabitur, vel si omnia sanctorum opera præstitero nullius apud Deum pretii erunt, nec ad Decretum refigendum quid momenti afferent. Nec omnino mihi satisfacit quod a plurimis suggestum audio, Nemini *scilicet* Prædestinationis suæ arcanum revelatum esse (quod in seclusioribus Dei *Archivis* latet absconditum) ac proinde omnes de

misericordiâ divinâ bene sperare, & ad Deum interim sibi conciliandum omnibus nervis anniti debere. Quamvis enim nemini revelatum sit in specie, ad quem ordinem pertineat, scire tamen omnes in genere se in alterutram classem referendos esse, & ab unâ in aliam transiliri non posse. Quid igitur sortem meam ignorare juvat? Utrovis modo alea ceciderit, ut Deum piè vivendo mihi propitium reddam non est quod inanimum inducam, nedum operam adhibeam. Aut enim Deus mihi jam propitius est si ex electorum classe sim; sim e Reproborum (quod magis in proclivi est ut credam) omnino frustra essem, si Deum mihi propitium reddere conatus fuero. Et quum longe verisimilius sit me Reprobum esse quam

quam electum, quorsum precibus apud Deum inflecti nescium contendam, quorsum jejuniis & vigiliis me conficiam? Ne hilum hæc omnia mihi proficient interim in hoc obsunt, quod miserum faciant ante tempus. Nullus profecto (quod sciam) ex hâc tentatione patet egressus, dum Reprobationis absolutæ Principiis adhæreatur. Præcipua enim imo sola spei omnis & consolationis fundamenta (qualia sunt universalis Dei Amor, universalis Redemptio, universalis & sincera peccatorum omnium ad fidem & resipiscentiam vocatio, & similia) per hanc doctrinam penitus amoventur, & quæ in illorum vicem substituuntur, putida sunt & cariosa omnia. Reprobationis enim absolutæ Doctores etiam atq; etiam rogatos velim, quid homini

tentationis hujus laqueis irretito dicere consultum putarent? Juberentne bono esse animo, Deum enim omnes velle salvari? Imo, reponit Tentatus, voluntate Signi, sed non voluntate Beneplaciti. Dicerentne Christum pro omnibus mortuum esse? Imo, reponit Tentatus, quoad sufficientiam Pretii, non vero quoad intentionem propositi. Dicerentne Deum omnes indiscriminatim Peccatores ad fidem & resipiscentiam vocare? Imo, reponit Tentatus, vocatione externâ, sed non internâ. Juberentne in Christum credere, ad bona opera se accingere, & inde Electionis *Arrham* sibi ratam habere? Imo vero, reponit Tentatus, si sim e numero Electorum, Deus hæc omnia in me suo tempore efficiet: Sin e numero Reproborum (quod po-

sterius

ſterius ut Credam facilius inducor) nihil horum ſperare licet. Sed non pro certo & explorato habes te eſſe Reprobum. Imo, nec vos pro explorato habetis me non eſſe. Sed fortaſſe non es. An igitur omnia conſolationis argumenta ad unum *fortaſſe* reducta ſunt ? Apage, miſeros conſolatores. Eodem luto Tentatus etiamnum hæret, quo vos hærentem inveniſtis. Nil actum eſt ; Etiamnum futuri metuens anxiam illam Tragici cantilenam canit :

Horrore quatior, fata quo vergant timens,
Trepidumq; gemino pectus eventu labat.

Quam infœliciter ceſſerit Prædeſtinariis nixa Principiis in Deſpera-

tionis tentationem lapsum consolandi methodus, in propatulo est. Unde extra omnem Controversiæ aleam positum esse mihi persuadeo Reprobationis absolutæ doctrinam non solum miseros homines in Desperationis *Barathrum* conjicere, sed etiam quasi obfirmatâ serâ omnem illis eluctandi copiam intercipere, adeo ut ex hoc sicut ex Inferni *Barathro* nulla futura sit Redemptio.

Quid jam superest, nisi ut teterrimam hanc opinionem, tot Blasphemiis prægnantem, tot malignis influentiis in homines grassantem, omnes quibus vel Dei honor, vel sua ipsorum salus cordi est, animitus ejurent, & odio plusquam *Vatiniano* detestentur? Certè votis omnibus optandum esset, ut Dogma hoc omni quæ Ecclesiæ pacem un-

unquam violavit Hæresi longe perniciosius, publicâ Synodi authoritate damnaretur, & Inferis (unde prognatum esse nullus dubito) palam devoveretur; Et ut *sacrilegi* illius Fautores (quod a *Romanis* passi sunt Mathematici) ad unum omnes exulatum abirent, & in ultimas terras transfretarentur. *Sacrilegi* inquam. Quid enim interest an *Manibus* templa subvertant, an *Rationibus*? In quàm plurimos (ut verum loquar) Hæreticos minorem Religioni cladem minantes Anathematis fulmen vibrare, & a Communione nostrâ proscribere non dubitamus. Quâ igitur fati clementiâ fit ut hi juratissimi non Christianæ solum, sed & omnis Religionis hostes magis tolerandi censeantur, ex quorum opinione (sicut optimè notat *Anonymus*

nymus quidam Scriptor) plures & magis pudendos errores eruere licet, quam ex libris *Socinianorum*? Quid enim quæso in Deum est contumeliosius, eum tam in personâ quàm in essentiâ unum constituere; an vero (ut nudam injustitiam mollioribus verbis obnubam) inducere punientem homines quod ea non fecerint, quæ ejus ipsius operâ ipsis factu impossibilia sunt? An absurdius est statuere aliam esse Patris, aliam Filii essentiam, quam Deum aliud in linguâ promptum, aliud & quidem contrarium in sinu clausum gestare? An magis traducitur Spiritûs sancti dignitas, quum dicitur esse tantum virtus & potentia Dei, quam Dei bonitas, cum statuitur Author peccati? Postremo, an plus de Christi præstantiâ decedit, quum duæ

in ipſo naturæ negantur, ne duplex perſona conſtituatur, quàm de ſapientiâ Dei, cum ſtatuitur eum id humano generi perſuaſum facere voluiſſe, quod tamen non perſuaſerit ; nimirum, quod omnibus ſalutem dare velit, cum tamen eam perpaucis deſtinaverit? Profectò ſi rem penſiculatius volvamus, *Socinianorum* de S. Triade doctrina, non tam ſuâ naturâ prava quam imperfecta & mutila cenſenda eſt. Nihil enim falſi aut abſurdi S. Triadi affingit, ſed tantum aliquid veri detrahit, nempe divinam illam Chriſti naturam, & propriam Spiritus S. perſonam. At hoc de fatali ſingulorum Prædeſtinatione Dogma, non defectu aliquo, ſed manifeſtâ pravitate laborat. Non enim Deum indigniſſimis ſolummodo calumniis onerat, ſed & Fidei

nymus quidam Scriptor) plures & magis pudendos errores eruere licet, quam ex libris *Socinianorum*? Quid enim quæso in Deum est contumeliosius, eum tam in personâ quàm in essentiâ unum constituere; an vero (ut nudam injustitiam mollioribus verbis obnubam) inducere punientem homines quod ea non fecerint, quæ ejus ipsius operâ ipsis factu impossibilia sunt? An absurdius est statuere aliam esse Patris, aliam Filii essentiam, quam Deum aliud in linguâ promptum, aliud & quidem contrarium in sinu clausum gestare? An magis traducitur Spiritûs sancti dignitas, quum dicitur esse tantum virtus & potentia Dei, quam Dei bonitas, cum statuitur Author peccati? Postremo, an plus de Christi præstantiâ decedit, quum duæ

in

in ipſo naturæ negantur, ne duplex perſona conſtituatur, quàm de ſapientiâ Dei, cum ſtatuitur eum id humano generi perſuaſum facere voluiſſe, quod tamen non perſuaſerit; nimirum, quod omnibus ſalutem dare velit, cum tamen eam perpaucis deſtinaverit? Profecto ſi rem penſiculatius volvamus, *Socinianorum* de S. Triade doctrina, non tam ſuâ naturâ prava quam imperfecta & mutila cenſenda eſt. Nihil enim falſi aut abſurdi S. Triadi affingit, ſed tantum aliquid veri detrahit, nempe divinam illam Chriſti naturam, & propriam Spiritus S. perſonam. At hoc de fatali ſingulorum Prædeſtinatione Dogma, non defectu aliquo, ſed manifeſtâ pravitate laborat. Non enim Deum indigniſſimis ſolummodo calumniis onerat, ſed & Fi-

dei

dei noſtræ & Religionis omnîs fundamentum demolitur. Nam ut Securitatem & Deſperationem omittam quibus veluti duobus arietibus pietatis noſtræ murum quatit, ipſam promiſſorum Dei fidem penitus evacuat, cum Deum pravè ſimulantem, & quaſi ſub duplici perſonâ miſeris Mortalibus illudentem, in ſcenam introducit. Sed digniora de Deo noſtro cogitemus, quotquot illum imitari ſtatuimus.

Propter Argumenti affinitatem, Orationem hanc ab eodem Authore animi gratiâ Scriptam, operi huic velut Appendicem ſubtexere viſum eſt, in quâ Senatui *Romano* laudi vertitur, quod *Mathematicos* & cæteros omnes Fati Doctores a Republicâ ſuâ proſcripſerit.

+ hanc sequentem orationem et alteram habuit coram Academiâ non multo prius quam Gradum Magistri in Artibus ambivit.

Soli-

SOlicitâ quadam Cœli benignitate *Romanæ* genti proſpectum fuiſſe reor, quod in illius diſciplinam tot omnium generum Adverſarii concitarentur, ut uberior gloriæ meteretur ſeges, & delicatior ex adverſis exiret fœlicitas. Sic quum majus eſſet Imperium *Romanum* quàm ut *terrenis* viribus concuteretur, invidens Fortuna Principi gentium Populo, *Mathematicorum* ope novum e Cœlis acceſſivit Hoſtem, & univerſam *Planetarum* aciem in illius excidium inſtruxit. Hoc tamen non niſi ſingulari Numinis indulgentiâ factum eſt, ut Populus ille tot bellis victoriiſq; clarus, ne quid deeſſet fœlicitati, de ipſo tandem *Fato* triumpharet.

Nec

Nec eſt ut miretur quiſquam, quod profligatas Fati copias Triumphorum quibus gens *Romanà* claruit, Albo inſcribam, quum Hoſtis fuerit. Omnium quibuſcum unquam congreſſà eſt maxime formidabilis, & in *Reipublicæ* internecionem vel ipſo *Annibale* magis *juratus*. Si igitur alia populi *Romani* geſta in Annalia referant Hiſtorici, quid ni hanc etiam victoriam de *Mathematicis* fraude plus quam *Punicâ* in Rempublicam graſſantibus, & ſubterraneis quaſi cuniculis urbis Mœnia ſuffodientibus, reportatam ipſi gratuler? Hi enim ſunt viliſſimi illi homines, qui inevitabili quâdam vi agi & volvi omnia contendunt, inq; mundo *Prototypo* orbiſq; hujus *Proſcenio* cuiq; naſcenti partes quas in vitæ ſcenâ ſuſtinere debeat, aſ-

ſignari

ſignari, fatalemq; illis primo natalium momento nodum necti, quem nullo niſu & impetu abrumpere, nullâ arte & induſtria diſſolvere unquam poſſint. Ridicula ſimul & exeſcranda Philoſophia, quæ non *Bruta* ſolum (ut illa *Carteſii*) ſed & *Homines* etiam in Machinas convertit. Hi ſunt illi qui non in res tantum corporeas, ſed in ipſas etiam hominum voluntates pro liberalitate ſuâ imperium *Deſpoticum* ſtellis concedunt, nec minus animorum quàm aquarum æſtus *Planetis* acceptos ferunt, Lunamq; ut *Mari*, ita & *Menti* dominari dictitant. Stupidi profecto homines, qui Lunam mentis *humanæ* (quoniam forſan *ſuæ*) Gubernatricem conſtituebant, nec *ſuo*, ſed *Syderum* arbitrio ſe vivere ſomniabant. Sed (heu) quàm ingeniosè

in

in libertatis suæ excidium conspirat *servilis* hominum credulitas, dum perturbationum suarum dominio subjici parum arbitrati, nescio quos arcanos & Missiles syderum cominiscuntur influxus; & ne non omni ex parte servirent *Ascititiam*, ex ipso Cœlo petunt Tyrannidem! Gaudeant igitur (non invidemus) gaudeant illâ quam tantopere depereunt servitute, sed interim exeant *Republicâ*, & in desertam aliquam Regionem se recipiant ubi soli fruantur, nec aliis Dogmatis sui venenati pestem affricent. Si enim cujusq; capiti concatenatam rerum seriem impendere, si fixâ & immutabili lege omnia procedere hominibus semel persuasum fecerint, actum est de *Republicâ*, & de omni eam consiliis juvandi curâ penitus conclamatum.

Ad pompam merè *Histrionicam* celebrantur Comitia, in medium proferuntur Consilia, rogantur Leges, eriguntur Tribunalia, jus dicitur, in immorigeros suppliciis animadvertitur. Nihil Reipublicæ interest quibus innitatur legibus, vel a quibus administretur magistratibus, qualem domi Senatum, vel qualem foris habeat exercitum. Nihil hæc omnia proficiunt, quod in Fatis est eveniet, sola *Parcarum* lex dominatur, cætera omnia vel frustra adhibentur, vel redundant. Si Fata Reipublicæ *dextrum* renideant, sileant licet omnes *Justitio* indicto leges, stabit tamen imò florebit, & quod ætatis *Aureæ* privilegium erat, sine Fascium sine Lictoris metu Justitia cultores inveniet. Sin *adverso* sydere fundetur Respublica, redeat licet a

Cœlis *Astræa*, gladio & bilance utrinq; armata, *Probitas algebit*. Quorsum igitur inani molimine se fatigant homines? Quorsum de rebus suis disponendis caput anxiè scalpentes deliberant, quum post districtissimas quo re melius cedat habitas consultationes, non *sua* sed *Fati* consilia sint exequuturi? Quorsum in urbis tutelam locantur excubiæ? Si fausto utatur Fato, *Palladium* habet, inexpugnabilis est. Sin minus, vel invitis Diis Tutelaribus pessum ibit. Quorsum precibus & lacrymis apud Deos contenditur, & pretiosis suffimentis fumant Altaria? Si in Fatis sit ut convalescat æger, etiam si fregerit *Æsculapii* statuam convalescet. Sin ad porrectius ævum non destinatus fuerit, Medicas artes ipse *Phœbus* incassum exerceret.

ret. Quorsum deniq; Reges, Militare Satellitium ad corporis sui custodiam adhibent? Si incolumitatem ipsis Fata decreverint, nudi licet & inermes inter confertissima sicariorum tela gradiantur, & in extrema capitis securi se conjiciant pericula. Fortunatum enim illud *Omen* quod illorum capiti semper impendet, melius quam septemplex Clypeus aut Murus aheneus omnes ab illis ictus arcebit. Sin illis mors immatura Fato statuta sit, nec ipsa illos tueri poterit *Salus*.

Et quò jam tendunt hæc omnia, nisi ut omni vel publicum vel privatum commodum promovendi studio susq; deq; habito, languor & socordia in hominum animos immittantur, quum fatalem sibi dominari necessitatem, ac proinde

utrum ſummâ cum vigilantia rebus ſuis ſtudeant, vel in utramq; aurem dormiant, nihil intereſſe ſecum perpendant. Quid conſultius igitur eſſe poteſt, quam ut prompto animo & flexili collo *cedant* illis a quibus aguntur Fatis, nec curis nequicquam valituris ſe miſeros torqueant, ſed indeliberato impetu ſolutoq; animo vivant, faſq; nefaſq; inſuper habeant, imo in atrociſſima (modo *Genio* arrideant) flagitia præcipites ruant, quum ſi qua *Mathematicis* fides, utcunq; ad ſpeciem liberi ſuiq; juris videantur, *Icuncularum* inſtar ad omnia quæ faciunt Occultis Fatorum filis impellantur, adeo ut nihil præter Fati *Deſtinatum* vel facere vel pati queant.

Perpendite jam quæſo vobiſcum Judices (ſi Fatorum veniâ liceat)

ceat) an qui talia Dogmatum Portenta in Vulgus ſpargunt diutius in Republica ſint tolerandi. Quid ſuſpenſi hæretis? Stolida certè eſt clementia perditiſſimis aliquot Nebulonibus totius Reipublicæ diſpendio indultum velle. Si *Platoni Homerum* unà cum reliquo Poetarum grege quod Juvenum animos numerorum ſuorum lenociniis enervarent, è Republicâ ſuâ eliminare conſultum videretur, an ſevera nimis eſt ſententia *Mathematicos* vitiorum omnium *Patronos*, & vel *Planetis* ſuis aſpectu licet uſq; maligno minantibus, Regnis magis infeſtos a Republicâ proſcribi? Nec in Apologiam cedat *Mathematicis* ſibi fatale fuiſſe ut de Fatis coram ediſſererent obtendere, quum (ut proprio eos confodiamus telo) etiam a Republicâ

liuâ eos proscribi non minus sit fatale. Eadem igitur Apologia quam ad *facti* invidiam minuendam afferunt, etiam *pœnæ* severitatem minuit. Sive stet igitur sive cadat Fatum, non est ut secum iniquè agi querantur *Mathematici*.

Macti igitur sapientiâ & consiliis vestris Senatores *Romani* quibus Patriæ libertatem vindicastis, & è Fatorum quibus constricta tenebatur vinculis expediistis. Jure merito *sapientes* audire promeruistis, postquam ipsis *Astris* dominari cœpistis. Sed laudibus vestris imparem me esse sentio, quibus pro merito extollendis etiam *Romæ* vestræ *Rostra* non sufficient. Haud pœnitendo cæteris nationibus præluxistis exemplo, quod quum

quum aliorum maleficiorum reis *Asylum* fuerit indultum, solos *Mathematicos Arâ* (cujus ruinam tam industriè moliuntur) *indignos* judicastis.

FINIS.
